


*Propositio centesima septuagesima octava.*

Com. Proportionem mistionis metallorum, maxime auri & argenti declarare. Dubium non est, quod mistio non cognoscatur ducto pondere totius in partem auri vel argenti, & productis collectis diuiso aggregato per aggregatum ponderis, idque est per se manifestum, nam qualis est proportio partis ad partem, talis est totius ad totum.

Sed est genus mistionis, quod vocant consolationem. Veluti, volo ex argento perfectionis decem & septem, & quinque, conflare argenti massam centum librarum perfectionis nouem, ita agendum est. Detrahe 9. à 10. & omni maiori 10. relinquitur 1. hoc suppone 7 & 5. item detrahe 7 & 5. & omne minus 9. à 9. relinquitur 2. & 4. iunge omnia residua fient 8. nam 4. 2.

10. 7. 5	9
	11
	14
	—
	8

11. Dicemus ergo quod 8. vnciarum perfectionis nouem componentur ex 6. vnciis perfectionis decem & vna septem alia quinque. Post dices, si vnciarum octo fiant 100. sex & vna, & vna, quot fient, eruntque vnciarum aut librarum, vt vocat marcham perfectionis decem, & duodecim cum dimidia, ac duodecim cum dimidia perfectionis, vt septem & vt quinque: licebit etiam propositis terminis pluribus ex repetita operatione idem facere, veluti sint massam perfectionis 10. 7. 5. & 2. volo massam perfectionis vt 8. Tu scis quod ex 10. 7. & 5. fit massa perfectionis nouem data lege sub 6. 1. & 1. nunc habeo iam perfectam vt 9. aliam vt 2. detraho 2. ex 8. relinquitur 6. & 8. ex 9. relinquitur 1. iunge fient 7. erunt ergo septem vnciarum, in quibus sex erunt perfectionis, vt 9. & 1. perfectionis vt 2. & totum erit perfectionis vt octo. Duc ergo, vt explores veritatem, 6. in 9. fit 54. duc 2. in 1. fit 2. iunge fit 56. diuide per 7. exit 8. perfectio quaesita.




Per idem intelliges detractionem ex massa argenti perfectionis 7. detraxi quartam partem perfectionis 10. volo scire dodrantem qualis relinquitur perfectionis, duc quadrantem in 10. fit 30. duc 12. in 7. fit 84. detrahe 30. ex 84. relinquitur 54. diuide 54. per 9. residuum 12. & 3. exit 6. perfectio residui.

Si quis dicat propositis argenti pondo 50. & dodrante perfectionis  $\frac{11}{18}$ . volo partem assumere, & igne perficere, ita vt purum argentum, quod relinquitur additum residuo, efficiat ipsum perfectionis dextantis & bessis vnciarum pro libra, seu  $\frac{8}{9}$ . diuide  $\frac{11}{18}$ . per  $\frac{8}{9}$ . exit  $\frac{11}{16}$ . duc in pondo 150. cum dodrante, fiunt pondo 34. vnciarum  $7\frac{1}{8}$ . hoc igitur erit aggregatum conflatum ex argento

puro & residuo. Detrahe igitur  $\frac{11}{18}$ . ex integro relinquitur  $\frac{7}{18}$ . detrahe pondo 34. vnciarum  $7\frac{1}{8}$ . ex pondo 50. cum dodrante, relinquantur pondo 15. vnciarum  $6\frac{7}{8}$ . (pondo enim vncias continet sub hoc sensu, quia vsui feruimus octo) diuide per  $\frac{7}{8}$ . exeunt pondo 40. vnciarum  $6\frac{1}{4}$ . & tanta pars debuit igne purgari. In ea enim erunt puri argenti pondo 24. vnciarum  $7\frac{7}{8}$ . quae addita residuo, scilicet pondo 9. vnciis  $7\frac{3}{4}$ . conficiunt pondo 34. vncias  $7\frac{1}{8}$ . perfectionis dictae.


Quidam miscuit vncias decem auri perfectionis dextantis, & partem perfectionis dextantis cum dimidio, & aliud perfectionis bessis concreuit massa perfectionis dodrantis vnciarum octuaginta, quaruntur pondera reliquarum partium, subtrahe 10. pondus ex 80. pondere, relinquantur 70. perfectionis  $17\frac{5}{7}$ . inde detrahe per modum superiorem, & relinquantur  $3\frac{2}{7}$ . &  $1\frac{5}{7}$ . iunge simul fiunt 5. dico ergo, si 6. producit 70. quid producat  $3\frac{2}{7}$ . &  $1\frac{5}{7}$ . & inuenies quod  $1\frac{5}{7}$ . producat 24. &  $3\frac{2}{7}$ . producent 46. qui iuncti faciunt 70. Igitur aurum perfectionis dextantis cum dimidio fuit vnciarum 46. aurum perfectionis, bessis vnciarum 24. Reliqua interrogata dissolues per regulas Algebrae, horum modo.



*Propositio centesima septuagesima nona.*

Si duabus totis duae portiones similes abscindantur, ab eisdem denuo, & abscissis portionibus partes eadem auferantur, denuoque ac denuo, quoties liberit à portionibus, & à residuis ipsarum quantitatem partes eadem auferantur, erit residui ad residuum. veluti totius ad totum.

Sint duae quantitates a b & k l, & abscissae duae partes similes ex vtraque b c & l m, & sit proposita aliqua proportio, quae sit h, & sumatur ipsius b d ipsius b c, secundum proportionem h, & similiter



In ipsius l m, iuxta proportionem h, sumatur rursus de ipsius a b pars secundum h, & n o ipsius k l, secundum eandem proportionem. Et rursus sumatur e f aequalis d b, & o p aequalis n l, vt sint portiones b c & l m secundum proportionem h, & sumatur f g ipsius a c, secundum proportionem h, & p q ipsius k o, secundum eandem proportionem, & ita producendo semper, dico quod erit a g residui ad k q residuum. vt a b ad k l. Quia enim a b ad b c, vt k l ad l m ex supposito, erit a b ad b d vt k l ad l n: est etiam a b ad d e, vt k l ad n o

Per 21.  
quinti Elem  
Per 18.  
quinti Elem  
Per 19. &  
22. eiusdem.  
Per 22. eiusdem.  
Per eandem  
Per 19 &  
22. eiusdem  
Per eandem.  
Per 19.  
quinti Elem  
Per 16. eiusdem.